Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8322
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

aiebat: Credo domine, adiuua incredulitatem meam. Et cum uideret Jhesus concurrentem turbam, cominatus est spiritui immundo, dicens ei: Surde et mute spiritus: Ego tibi pcipio, exi ab eo, et amplius non introeas in eum. Et clamans, et multum discerpens eum, exijt ab eo. Et factus est sicut mortuus, ita ut multi dicerent quod mortuus esset. Jhesus autem tenens manum eius, eleuauit eum, et surrexit. Et cum introijsset in domum, discipuli eius secretè interrogabant eum: quare nos non potuimus eijcere eum, Et dixit illis: hoc genus in nullo potest exire, nisi in ieiunio et oratione.

Sequentia sancti Euangelij Scdm Lucam. XI.mo

In illo tempore, erat Jhesus eijciens doemonium, et illud erat mutum, et cum eijecisset doemonium, locutus est mutus, et admiratę sunt turbæ. Quidam autem ex eis dixerunt: in Beelzebub principe doemoniorum eijcit dæmonia. Et alij tentantes, signum de Coelo quærebant ab eo. Ipse autem ut uidit cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum in se diuisum desolabitur, et domus supra domum cadet. Si autem et Satanas in seipsum diuisus est, quomodo stabit regnum eius: Quia dicitis in Beelzebub me eijcere doemonia. Si aut in Beelzebub eijcio doemonia, filij uestri in quo eijciunt? ideo